



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Archicancellariis Sacri Romani Imperii Ac Cancellariis Imperialis Avlae

Mallinckrodt, Bernhard von

Monasteri[i] Westphaliae, 1640

Membrum de Archi-Cancellarijs secundum, De Mogvntinis Archi-Episcopis,
vniuersi Cisalpini Imperij Archi-Cancellarijs hereditarijs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11835

cognitæ, is Archi-Capellatum necdum consecutus erat. Vice eiusdem Brunonis, iam tunc Archi-Capellani, recognouit Luitolphus, siue Ludolphus Cancellarius, an. 952, (rectius 953; aliis anni Imperij Othonis, qui adscribuntur, non conueniunt; uti nec primordia inthronizationis S. Brunonis quadrant) apud Meibom. in *diplo. Othon. pag. 121.* deinde an. 961. apud Pistorium, in *diplo. siue priuilegij Ecclesie Mindensis, pag. 734.* & an. 963. in *Laurishem. Chronico Freheri pag. 70.* denique *pag. 126.* apud eundem Meibom. an. 965. Ex postremo hoc loco, iuncto & collato cum primo, euadit, à principio præfulatus vsque ad finem, Archi-Cancellariatum per annos duodecim penes Brunonem resedisse; ac recognitio facta nomine Successoris eius Wilhelmi, anno sequenti, vltèriùs comprobatur, de Colonienfi hæc Brunone, quæ diximus, indubitatè accipienda esse; licet neque Rotgerus in *vitâ*, nec Cratopolius in *Catalogo*, nec Chronicon Colonienfè eius rei meminerint. Mendum etiam, quod apud Miræum in *Notit. Eccl. c. 62* irrepsit, auferendum est; vbi pro *Bardone*, qui ad hæc tempora non facit, *Bruno* reponendus videtur. Magna autem laus est Saxonie nostræ, & miraculum ferè istorum temporum; hunc Præfulem, præter vitæ sanctitatem, de qua inter additamenta cap. 1, non Latine tantum, sed etiam Græcè doctissimum fuisse; accersitis studiorum causâ ex ipsâ Græciâ Magistris, ut in vitâ eius Rotgerus scribit: quam auget duplicatque, quod obiter adiungo, Rosvitha, Poëtria Gandersheimensis; cuius extat de gestis Othonum panegyricus, Heroïco carmine ijsdem ferè temporibus conscriptus, sexus, æui, & patriæ intuitu non contemnendus.

Membrum de Archi-Cancellarijs secundum.

De MOGUNTINIS Archi-Episcopis, vniuersi Cisalpini Imperij Archi-Cancellarijs hereditarijs.

Wilhel-
mus Archi-
Episcopus
Mogunti-
nus.

DEuentū igitur iam est ad **WILHELMUM** Archi-Episcopū Moguntinū, Othonis I Imperatoris filiū, post quem, ut supra dicebā, nullos iam alios deinceps Archi-Capellanos, seu Archi-Cancellarios habebimus, quàm eiusdē Sedis Archimystas. Quare superfedebimus in sequentibus ab illorū recensione; remissis Lectoribus ad *Serarium, Bruschiū, Cratopolium*, aliosque, qui Moguntinorū Præfulū vitas & gesta exequentur: nisi quod proximi aliquot prætereundi non sunt, ut de veritate assertorum tantò firmiùs constet. Wilhelmi igitur vice recognouit Augusta Diplomata, an. 966, proximo post obitum decessoris, (Brunonis Colonienfis) anno verò præfulatus eius 12, (anno enim 954 Friderico Lotharingo successit) Ludolphus Cancell. apud Meibom. *pag. 126: Miræum lib. 1. Diplom. cap. 20; & in Not. Eccl. cap. 62.* ac biennium circiter munere

munere isto functus est Wilhelmus; qui anno 968 mundo valesciens ad plures abijt. Fuit autem non Edithâ, siue Edgithâ Angliæ Regis filiâ, priore Othonis Coniuge, natus, vt volunt Serarius *in reb. Moguntinis*, Bruschius & Merfæus *in Catalogis*, ipseque Ecclesiasticæ historiæ pater ac princeps Baronius *ad an. Chr. 973. nu. 1.* & ante omnes illos, prout à Baronio citatur, Widikindus Saxo l. 3: sed, vt grauissimus idemque antiquissimus Auctor, Dithmarus Merfburgensis Episcopus l. 2. scribit, nobile parentis sui Othonis Concubinâ, Sclauonici generis, matrem habuit: quem etiam Gelenius in Hierotheca sua Engelbertina, cui Othonianum stemma ex occasione S. Geronis inseruit, sequitur. Nec posse prædictam Reginam huius genitricem esse; etiam ex Continuatore Reginonis constat: qui biennio circiter ante nuptias eius cum Othone, Wilhelmum natum esse prodidit; cuius natales incidunt in annum Christi 928: Otho autem maritus factus fuit, Edgithâ ductâ, an. 930. Non puto autem ab his diuersum sensisse & scripsisse Witikindum, cuius textus apud Baronium glossate non vacat. Sequentia enim verba: *Nimirum Anglicanâ Edmundi Regis Anglorum filiâ, nomine Edgithâ*, ab editione Witikindi Meibomiana, prioribus emendatori, absunt; nec admodum cum ipso textu conueniunt, qui adulteratione ista sublata idem cum Dithmaro tradit. Etsi autem apertis hac in re probationibus destituamur, valdè tamen probabile & verisimile est, hunc laudatissimum Præsulem (Witikindus lib. 3. vocat *virum sapientem & prudentem, piûm & cunctis affabilem*) ab optimo Parente suo hanc obtinuisse Sedi suæ prærogatiuam, vt perpetuis deinceps temporibus, non alij, quàm Moguntini Antistites, Romani Imperij Archi-Cancellarij constituerentur. Quæ in re affectui paterno videri possit ipsius loci dignitas suffragata fuisse; vtpote cum iam inde ab antiquo, inter Archi-Episcopales Sedes, Moguntina Cathedra, præ reliquis Cisalpini Imperij, maximè insignis & excellens fuerit: tum ad S. Bonifacij honorem; nam de antiquitate forsitan alijs, & in primis Treuerensi Ecclesiæ concesserit, vt ipsemet Serarius *lib. 1. c. 17* quodammodo innuere videtur: tum ob ipsius etiam Urbis, quondam florentissimæ, dignitatem & splendorem; quæ sitûs commoditate, commerciorum frequentia, alijsque dotibus inter Germanicas Imperij Vrbes caput extulerat; vsque adeò, vt à Reginonis Continuatore, Regia ciuitas & Franciæ Metropolis; ab Authore autem Annalium Pithæanorum, vetustissimis Scriptoribus, Germaniæ Metropolis vocetur. Atque hoc intuitu, per excellentiam, Sigonius, lib. 7 de regno Italiæ, Moguntinum Antistitem vocat *Germaniæ Metropolitânium*; ac Widikindus Saxo passim & vbique, *Summum Pontificem*. Quamquam ipsius prouinciæ spatiosissima amplitudo, Apostolatui S. Bonifacij

facij Germanico debita, istam eminentiam præcipuè huic Ciuitati & Sedi conciliâsse videri possit; utpote quæ quatuordecim (Bambergenfi & Pragenfi inclusis) insignes & patentissimos sub se olim complecteretur Episcopatus. quorum huc-usque duodecim retinet, à summitate Alpium & Italico limite, ad ipsum ferè Germanicum mare, à quo Verdenfis Parochia non ita longè abest, ac à Morauia montanis ad Burgundiam & Galliam usque, continuo vtròbique & nuspiam interrupto tractu se diffundentes. Verùm, an expresso Othonis I aliufve Imperatorum priuilegio; de quo certè nil habemus præter coniecturam, quam attuli: an verò tacito quodam, ut sæpe factum nouimus, ac paulatim glifcente iure, *Archi-Cancellariatus Imperij Moguntinæ Sedi annexus, & ut vulgò loquimur, incorporatus fuerit; cuiusque iudicio & arbitratui vel tenendum, vel reijciendum relinquitur.* Illud interim verissimum, *Wilhelmum prædictum fecisse initium priuatiuè possidendi, & exercendi hanc primariæ dignationis functionem; uti reliquorum succedentium exemplis, quatenus opus videbitur, ostendere restat; donec postmodum Coloniensis & Treuirensis, in communionem & consortium nobilissimæ dignitatis reciperentur.*

*Hatto II.
Archi-Episcopus
Moguntinus.*

Successor in *Archi-Episcopatu* post *Wilhelmum Hatto II* fuit; cuius quantumuis breuis (vndecim mensium, ut quibusdam placet) *Archi-Capellanus*, Documentis suis non destituitur. Extant enim apud *Miræum l. 1. Donat. c. 13. & in Not. Eccl. c. 65;* apud *Hundium in Metrop. tom. 2. pag. 237;* denique apud *Meibomium pag. 129,* de annis 968 & 969, *Hattonis vice* recognita primi *Othonis diplomata.* Difficultatem aliquam circa annos *Hattonis* videtur facere *Diploma Othonis, Papiæ An. 972 datum,* quod extat *in Metropol. tom. 1. p. 134.* Verùm ex annis regni & Imperij, annus Christi illic corrigendus est; quanquam nec illi omni vitio carere videantur. quod nunc scrupulosius expendere, & Critico vanno ventilare, operæ pretium non videtur. *Hattoni, siue mures illum siue vermes comederint, (prius fusè solideque refellit Serarius rer. Mogunt. lib. 4.)* successit *Rupertus, seu Ruppertus, aut Rodbertus,*

*Rupertus
Moguntinus
Archi-Episcopus.*

Archi-Cancellarius Othonis: constat id ex Meibomij Diplom. ut infra patebit. cuius vice necdum reperi sub Othone I recognitas literas, præter vnum Diploma, quod apud Miræum legitur lib. 2. Donat. cap. 20. Sub Othone autem

*Vvillegifus
Archi-Episcopus
Moguntinus.*

II, pro ipso (Rudberto) recognouit, anno 974, Vvillegifus. Priuil. Mind. apud Pistorium, pag. 740; & apud Miræum in Codice donat. cap. 39, eod. an. uti & in Not. Eccl. cap. 39. in quo posteriori Diplomate Roberti & Willegifi nomina transposita sunt. denique in Metrop. Salisb. tom. 1. pag. 135. Huic, an. 977 mortuo, Willegifus itidem Cancellarius successit; cum idem ante Cancellariatum, regalis

regalis aula Notarius fuisset, ut postea videbitur. Huius, sordida quidem originis, utpote Hamaxurgi filij, ingenio autem, doctrina, & virtute ad magnam fortunam euecti, vice & nomine plurima supersunt sub Othonibus II & III, ac Henrico II recognita diplomata; ideoque referre illa, utpote vbiuis obuia, minimeque dubia, superfedeo. Sedit enim annis 35; ab an. 976, vsque ad an. 1011. Traditur à plerisque primus suæ Sedis Elector fuisse, quod an subsistat, & temporum illorum ac sequentium historiae conforme sit; post alios, loco ad id destinato, mea etiam mediocritas, volente Deo, ad ruinam reuocabit. (*infra inter additamenta, cap. 3.*) Othonis III nutritor, & per absentiam Italicam, locum tenens fuit in regni Germanici gubernatione.

Erkenbaldus, laudatissimi Prædecessoris dignus Successor, qui prius fuerat Fuldenfis Abbas, sedit annos nouem. Imperatoriarum literarum, quas vice eius Cancellarij pro tempore recognouerunt, infra, vbi de illis dicitur, ex parte recensio instituetur. Quod idem de Successore eius Aribone; & qui illum vicissim secutus est, Bardone dictum esto. Illorum primus ad S. Henrici principatum pertinet; Aribo ad Conradi Salici potissimum; Bardo ad Henrici tertij tempora. Qui post illos sibi ordine successerunt, Leopoldus, Sifridus, Wecilo, Ruthardus, sub Henrici quarti longissimo, sed parum felici, quinquaginta ferè annorum regimine floruerunt. si tamen lætius illud verbum admittent in fausta illa tempora: quibus ad securam inclinationem & ruinam Imperij prima ferè fundamenta iacta sunt. Adelbertus deinde sub Henrico V, & Lothario II sedit. post quem Albertus II, Marcolphus, & Henricus I, Conrado III contemporanei fuerunt; atque ita ad Fredericum Barbarossam deuentum est. sub quo tres Imperij hereditarij Archi-Cancellariatus primū cœpisse potuerunt; cum prius à tempore Othonis I, sola Sedes Moguntina tali prærogatiuâ fuisset inclita: Henrici autè V auo, (hanc opinionem, ut suo loco indicabo, probabiliorem iudico) Colonienfis pari priuilegio honorata esset: donec tandem tertius accederet, vel Friderico I. Imperante, vel certè paulò post tempora Friderici secundi, nepotis eius, Archi-Episcopus Treuerensis, uti in sequentibus videbitur. De hoc ut tantò melius & plenius Lector informetur, duo hæc subiungam & expediam, priusquam ad tertium de Archi-Cancellarijs membrum transitus fiat. Illorum prius fide Diplomatum oculos ponet, qualiter ante Fridericum, Imperatores, etiam cum in Italia existerent, Moguntinos Præsules pro Archi-Cancellarijs in expediendis literis res Germanicas concernentibus agnouerint, illorumque vice recognitiones ab aula Cancellarijs factæ fuerint: Alterum, exempla aliquot Italicorum Archi-Cancellariorum producet; quibus Imperatorum quidam in Italicis ne-

Erkenbal-
dus Archi-
Episcopus
Moguntin-
us.

Archi-
Episcopus
Moguntin-
os sub O-
thonibus,
etiam trans
Alpes agen-
te Casare,
rerum Ger-
manicaru
curam &
recognitione
obuisse.

E

gotijs,

gotijs, priusquam illa dignitas ad Colonienſes deferretur, uſi fuiſſe leguntur. Vt igitur in quibuſcunq; rebus, temporum tractus lapſuſque ſeculorum nouationes, & uarietates introducit; ita etiam in hac Archi-Cancellariorum materia, aliter Othonum, aliter Friderici Barbaroſſæ, & filiorum eius nepotiſque homonymi, æuo obſeruatum fuiſſe animaduertitur. Nam tempore Imperatorum Sueuorum, differentia (quod pro exemplo ſit) Germanici & Italici Archi-Cancellarij in illo conſiſtebat, ut Imperatore in Germania exiſtente Cancellariæ regimen, & literarum expeditionis ſuprema inſpectio, ad Moguntinum, utpote Germaniæ Archi-Cancellarium, ſpectaret, non factio inter negotia, ſiue Italica, ſiue Teutonica illa eſſent, diſcrimine. idemque obtinebat in Coloniënſi, quoties in Italiã Imperator cum curia ſua verſaretur, ut infra palam fiet; eaque ratio ac longiſſima multorum ſeculorum ſubſecuta conſuetudo, etiam nunc firmiter conſiſtit, duratque. Saxonum autem rerum potentium æuo, quantum hæcenus indagare quiiui, res Italicas Archi-Cancellarij iſtius regni curabant; Germanicis, etiam trans Alpes agente Cæſare, Moguntinus intendebat. Extat Othonis I. Diploma, Monachis S. Heimerani Ratiſb. conſeſſum, quod Veronæ ad Arheſin an. 973 emiſſum, Willigiſi vice Hildebaldus Epiſcopus & Cancellarius recognouit, apud Gretſerum in *Diuiſiſ Bambergeniſibus*, pag. 533, & in *Metrop. Salib. tom. 2. pag. 372*. Eiuſdem Imperatoris donatio, facta Eccleſiæ Aquilgranenſi de Abbatia Caprimontis, an. 972 *Papie* data eſt, quam Rotberti Archi-Cancellarij nomine Wicilliſi (Willigiſiſ communiuſ uocatur) Notarius ſubſcripſit, ap. *Mireum lib. 2. Donat. cap. 20*. Eiuſdem donatio ſuper Abbatia Chiemeniſi, facta Salisburgeniſi Eccleſiæ, *Monticuli in Tuſcania* prope Lucam data, *Hattonem* Archi-Epiſcopum ſubnotatum habet, in *Metrop. Salib. part. 2. p. 237*. uideatur ead. *Metropolis tom. 1. pag. 134*, & *Chronicon Lauriſheimenſe pag. 70*: ubi Priuilegium extat primi Othonis, de iure & facultate electionis Abbatis, *Papie* an. 963 conſeſſum; quod vice *Brunonis* Archi-Capellani *Luidolphus* ſubſcripſit. Apud Meibomium etiam duo extant Othonis eiuſdem Diplomata, pag. 129, an. 968 emiſſa: quorum altero Fundatio Miſnenſis Eccleſiæ continetur, Romæ date; altero Adelheidi uxori prædia quædam in Germania ſita donantur. illud, ut formalia ſonant, *ad uicem vacationis Archi-Capellani* (per Wilhelmi Archi-Epiſcopi obitum) Rudbertus; hoc uerò Hattonis uice Rotgerus recognouit. Othonis etiam III literæ ſuperſunt, *Ultraiectinæ* Eccleſiæ an. 999 Romæ conſeſſæ, quarum in ſequentibus etiam mentio fiet; quæ Willigiſi Archi-Epiſcopi & Archi-Capellani uice ſubſcriptæ ſunt. Eſſi autem ſequentium Imperatorum in eadem formâ emiſſas literas necdum repererim; ſufficere tamen hæc Othonianæ, Aui & Nepotiſ, iſti, quæ ſub manu eſt, rei probandæ uideri poterunt; eò quòd ſequen-

sequentium Imperatorum alia, quibus de contrario doceamur, quantum scio, produci nequeant. Quod attinet autem, de quo dicere restat, ad illum sub Othone, & eius in Imperio Successoribus, Italicum Cancellariatum, duos reperio sub Magno Othone successu temporis Archi-Cancellarios Italia fuisse, Vidonem Episcopum (Mutinensem, vt suspicor. fuit certe hoc nomine, Othonis tempore, eius loci præsul, qui subscripsit literas eius *tom. 3. Concil. part. 2. p. 151;* & erectionem Magdeburgensis Archi-Episcopatus, apud Meibomium: vbi tamen corruptè Vinth legitur) ad an. 963. qui refertur in dicti Imperatoris literis Aquapendente datis, Priuilegium Ecclesiæ Patauinæ concessum continentibus; cuius subscriptio est: **Luitgerius Cancellarius ad vicem Vidonis Episcopi & Archi-Cancellarij recognoui & subscripsi: & Humbertum**, itidem Episcopum, an. 967. cuius vice diploma Othonis in fauorem Aledrami Marchionis, cui diuersa bona in Italia sita conferuntur, Rauennæ expeditum recognouit Ambrosius Cancellarius. vtrumque habetur apud Meibom. *inter Othoniana diplomata, pag. 124 & 128.* Sed & Othonis III principatu, Petrus Episcopus Cumanus, Italiae Archi-Cancellarius fuit. Meminit Diplomatis Othoniani an. 997 Romæ dati, quod Heribertus eius nomine recognouit, Windeck *de Elect. cap. 12.* Eiusdem vice idem Heribertus recognouit Othonis III literas, Papiæ datas, apud Gevold. *de septem-viratu, pag. 98, num. 50;* & apud Baron. *tom. 11. Annal. sub an. 1001.* Eiusdem diploma legitur Romæ datum, an. 999: quo Vercellensi Ecclesiæ magnifica dona confert; extatque apud eundem Card. Baronium aliud, *tom. 10. Annal. pag. 954,* habens eiusmodi subscriptionem: **Heribertus Cancellarius vice Petri Comani (Episcopi) & Archi-Cancellarij recognouit.** Etsi autem hic Italiae mentio non fiat, ex superioribus tamen tam Othonis primi quàm huius tertij, nepotis eius, diplomatibus, explicatio illa repetenda est: nec potest ad Germaniam, & Imperium in genere, eius extendi Archi-Cancellariatum; quod notissimum sit, & magno numero diplomata Cæsarea euincant, illo tempore Willegisum Archi-Episcopum Moguntinum, Archi-Cancellarium fuisse. atque hoc ipso anno dedit Otto III Bomelam Ecclesiæ Ultraiectinæ; cuius donationis literas, Romæ expeditas, huius Willigisi, non verò alterius nomine recognitas esse Miræus auctor est *lib. 2. Diplom. cap. 26. & in Notit. Eccles. cap. 77.* Imperante Henrico Sancto Imp. Archi-Cancellarius Italiae videtur fuisse Euphrardus, (rectius Euerardus Episcopus) de quo apud Gevoldum *cap. 6. de Septem-viratu nu. 55.* vbi talis subscriptio legitur: **Henricus Cancellarius vice Euphrardi Episcopi &**

De Archi-Cancellarijs Italicis sub Othonibus; &c. Vido. sive Guido.

Humbertus.

Petrus Episcopus Comensis.

Euphrardus, sive Euerardus Episcopus.

Archi-Cancellarij recognouit. Datum an. Dom. Incarnat. M. XIV; an. Dom. Henrici Imp. regni 12, Imperij primo. Actum Romæ feliciter, Amen. (vide infra inter Cancellarios sub Henrico II) Vixit illo tempore Euerardus Episcopus Bambergensis, hæcque ipsas inter reliquos testes subscripsit literas. fortè tamen ille ab Archi-Cancellario isto diuersus sit. Henrici IV, quem Itali tertium vocant, in Italia Cancellarium fuisse Gilbertum, Episcopum Parmensem, auctor est Cuspinianus in vitâ. Hunc Baron. tom. II. Annal. sub an. 1061, Cumpertum; vel potius, vt habet marginalis correctio, Guibertum nominat: vbi narrat hunc præcipuè Imperatori fuisse auctorem, Antipapam Cadaloum, ciuem & amicum suum, constituendi aduersus secundum Alexandrum. Huic an. 1062 deposito per Annonem Coloniensem, regni Administratorem, Successor datus est Gregorius, Vercellensis Episcopus: quod an de Italico intelligi debeat, infra examinabitur. Huc etiam refero Bertoldi Constantiensis, (Gretserus rectissimè censet, Bernoldum vocari debere) Continuatoris Hermanni Contracti locum; qui ad an. Chr. 1077 scribit, Venericum, Episcopum Vercellensem, eiusdem Henrici IV Cancellarium fuisse. Ac ipsæ res ab illo narratæ videntur nos eò vocare; nam in Italicis partibus operam suo Principi nauauit. An autem, quoties citra Alpes & in Germania Imperatores existerent, res Italicæ per ultra-montanos Archi-Cancellarios æquè ac in Italia commorantibus illis, curatæ, literæque eorum nomine recognitæ & subscriptæ vniformiter fuerint, hætenus necdum reperi; vel certè minùs attentè, dum alijs intendo, obseruaui.

Guibertus
Episcopus
Parmensis.

Gregorius
Episcopus
Vercellensis.

Venericus
Episcopus
Vercellensis.

Tertium Membrum de Archi-Cancellarijs.

COLONIENSIS & TREVIRENSIS ARCHI-Episcopi, quando facti sint S. Rom. Imperij Archi-Cancellarij hereditarij.

SVperest, vt tertium de Archi-Cancellarijs membrum aggrediamur; quod; Sex propositâ in ingressu partitione, est de factâ Archi-Cancellariatûs dignitatis cum Treuerensi & Coloniensi communicatione. Istius nouationis, etsi ob Historiographorû aliorumq; Scriptorum silentiû, difficile sit ac fortassis impossibile certû ac circumscriptû tempus demonstrare non tamen abs re fuerit, eam, quæ ex Documētis veteribus, vt cunq; elici potest, qualis-qualis illa sit, in medium proferre cognitionem. in antiquis enim, & à memoria nostrorum